

runt aliquandiu, quos tamen haud multo post dimiserunt, uno excepto, qui, ut iratæ multitudinis furorem evaderet, bovi mactato atque exenterato se insui passus est, & corruptis custodibus pro cadavere extra urbem deferri. Irritatus hac legatorum suorum injuria Fridericus, collecto subito milite cum MD equitibus Ambergam properavit, cæteris sequi jussis, pœnas à civibus contumacibus sumpturus. At illi jam ducti pœnitentia cum Senatu, & ordine Ecclesiastico ipsi obviam progressi, veniam delicti postulabant. Fridericus quinque è civibus noxæ dedit, deque iis tres securi percussit. Ita tandem jurarunt Ambergenses in verba Friderici, ipsumque pro Electore habuerunt.

Egra.

Est & Egra Nortgaviæ civitas, extra Hercynium saltum, nomen habens ab Egra fluvio, cui assidet. Sita est in amœna valle, ita ut pars ejus ex declivi colle pendeat. Cingit eam murus duplex; cui tertius etiam additus, ea urbis parte quæ à flumine est remotior. Arx inter flumen & urbem posita ornamentum ei & tutelam adfert. Templum S. Nicolao sacrum splendidum est, præsertim ob turres duas quæ Orientem respiciunt. Templo vicina ac pene contigua est domus fratrum Teutonicorum. Est & alia Cruciferorum, & alia Stelliferorum domus, prope Xenodochium. Curia ampla est & laxa: In ea Carolus V anno 1547 exercitum colligens, quo postea Saxoniam incubuit, diversatus est. Senatus est Centumviralis. In hoc novemdecim lecti è Patritiis, Consules urbi sufficiunt quotannis quatuor. Tredecim sunt Scabini, qui jus dicunt, causasq; civium dirimunt, non ex scriptis constitutionibus Romanorum, sed ex legibus municipalibus, exque recepto jure. Reliqui sexaginta & octo sunt plebeji. Porro à Senatus Egrani sententiis non datur nisi ad ipsum Bohemiam Regem provocatio. Præter ædificia publica quæ jam diximus, sunt & horrea omni frumentorum & leguminum genere referta: armamentarium quoq; instructissimum: molæ duæ, xenodochia duo, balnea publica quatuor, porta majores tres; minores totidem; quarum

non est usus nisi ad Consules noctu admittendos, si quando Reip. causa abfuerint: nam majores extra ordinem nemini aperiuntur. Pons urbem suburbio necit amœnissimo, in quo fons est, quem dixi, acidus, cujus potus æstivis mensibus leniendis caloribus expetitur. Suburbium illud incolunt magna ex parte coriarii, quorum merces per Bohemiam, Pannoniam utramque, & finitimas regiones plaustris petitiæ divenduntur. Arcem incolit regio nomine Burg-gravius sive Toparcha ad urbis præsidium. In ea præter turres urbi imminentes, sacella sunt duo, alterum B. Martino sacrum, alterum B. Ursulæ. Cives Egrani hydromeli coquunt, expetitur Germanis ac Bohæmis ob vinuli saporis gratiam, & aromata, quibus temperatum est. Ditio Egrana habet sub se arces duodecim, pagos complures: oppidum Radwitz ad amnem Cossenium.

Sunt præterea hic & alia oppida minime contemnenda, *Nerburgum* & *Sultzbachium*, Principum Palatinorum sedes. Est circa hæc loca Lantgraviatus Luchtenbergicus, cujus sedes *Pfreimbs*. Item Comitatus *Ellenbogen*, qui ad Bohemiam spectat.

Alia oppida.

Irrigant regionem flumina, Egra, Nabus, Vilfus, Regus, Pegnitius, Schwartzach, Sultza, Altimulus, Laberus, Lutra, alique. Omnes Nortgoviorum fluvii fabricis ferri & reliquorum metallorum conspicui sunt, utpote qui aquarum impetu agunt & impellunt tam ingentes folles, quam immensos malleos, fabris ferrum tantum, suppositis incudibus, admoventibus. Ex monte *Pimifero*, vulgo *Fichtelbergh*, profluunt quatuor insignes fluvii, Mœnus, Nabus, Sala & Egra. Mons vero iste lapidis istius cærulei, quem *Lazurum* vocant, feracissimus est. Vicinas hic videre est silvæ Hercyniæ portiones, quales sunt *Weissenburwalt*, *Behemerswalt*, aliaque. Aère fruitur regio suavi & salubri: terra ipsa dura & aspera est, licet quibusdam locis frumentum copiose satis proferat, ac pascua etiam repariantur.

Flumina.